

ritur quod omnis modus ei conveniens videatur, sicut non videmus modum quo quantitas existit separata, et tamen ipsam intuitive videmus: et corpus seu humanitas Christi videbatur in terris, nec tamen subsistentia ejus videbatur, ergo non est necesse videre omnem modum, et omne prædicatum rei. Et ratio est quia intuitio ex suo præciso conceptu non amplius requirit, quam quod aliquid videatur ut existens, non vero quod in eo cognoscatur omne quod existit, hoc enim non ponitur in definitione notitiæ intuitivæ, et constat in visu externo, qui videt omnes colores, nec tamen videt omnia prædicata aut modos qui illi conveniunt, sed sufficit videre illos quoad an est, cur ergo id non sufficiet in visione intuitiva Dei? Et confirmatur, quia definitio notitiæ intuitivæ, solum est quod sit notitia rei existentis seu præsentis, non vero quod subsistentis vel inhærentis, ut etiam convincitur exemplis allatis de humanitate Christi, quæ videtur intuitive, et ejus subsistentia, et quantitas videtur in Eucharistia, et non videtur inhærens, sed in Deo ipsa divina essentia antecedenter ad Personas est existens, quia existentia ipsa est prædicatum essenziale Dei, ergo antecedenter ad Personas salvatur tota definitio notitiæ intuitivæ respectu Dei, quia non per Personas redditur existens, sed per essentialem Personæ, quia essentialiter existens est.

XXVII. Secunda vero pars, scilicet de quidditativa cognitione probatur, quia Personæ non sunt de conceptu essentiali Dei, saltem ut prædicata constitutiva, si quidem de fide est Patrem communicare Filio totam essentiam, et prædicata constitutiva, et non paternitatem, si autem paternitas pertineret ad constitutum essentiæ, non posset intel-

ligi communicari essentiam, et non paternitatem: ergo ex vi cognitionis quidditivæ non implicat Personam aliquam, vel Personas non videri. Et confirmatur, quia licet relationes istæ identificentur cum essentia, non tamen sunt idem cum illa adæquate, sed inadæquate si quidem potest communicari natura Filio non communicata relatione Patris: ergo relatio illa non est adæquate identificata essentiæ, quia non ubicumque invenitur essentia inveniuntur omnes illæ relationes, sed quidquid non pertinet ad constitutum essentiæ potest sine illo salvari quidditativa cognitio: ergo sine cognitione relationum potest videri Deus quidditativa cognitione, licet identificentur cum essentia. Et præsertim hoc urget in opinione, quæ affirmat Personas esse objectum secundarium, sic enim potest primarium sine ipso cognosci.

XXVIII. Ultima vero pars, scilicet quod ex identitate attributorum et Personarum cum essentia non inferatur ista implicatio probatur, tum quia inter attributa non est tanta identitas, quin etiam non admittat aliquam distinctionem vel formalem ex natura rei in sententia Scoti, vel virtualement secundum alios quatenus possunt fundari contradictoriæ propositiones, ut quod Filius procedat per intellectum, et non per voluntatem, quod communicetur natura, et non paternitas et similia: ergo ex præcisa ratione identitatis non inferitur, quod non possit unum videri sine alio. Tum quia aliqua attributa sunt quæ non possunt videri secundum omnem formalitatem suam, sicut non possunt videri omnes ideæ, alias Deus comprehenderetur, nec omnis eminentia quæ est in attributis ad continendum vel explicandum se in creaturas, quæ tamen eminentia formaliter est in Deo, v. g. in omni-

potentia, voluntate, scientia, immensitate, etc. id enim pertinet ad perfectionem realem Dei qua excedit creaturas, et tamen si omnem istam continentiam seu eminentiam videret, comprehenderet Deum, ergo non est necesse videre omnia, quæ formaliter sunt in Deo.

XXIX. Respondetur ad primam partem argumenti, quod visio intuitiva imperfecta (sive ex parte medii per quod res videtur, et ratione ejus aliquantulum obscurari potest, sive ex parte ipsius objecti cujus partes vel prædicata distinguuntur, et sic potest unum videri sine alio) non requirit attingentiam omnium eorum quæ sunt in re visa. At vero visio perfecta qualis est visio beata (tum ex parte ipsius medii, quia caret illo, et Deus immediate per se ipsum unitur menti, et sic non potest turbari, vel impediri ex parte medii, tum ex parte rei visæ, in qua non sunt partes diversæ, nec ipsa existentia est prædicatum contingens, sed quidditativum) non potest videri quoad an est, nisi etiam videatur quoad quid est. Et cum sit actus purus, non potest videri aliquid prædicatum, quin videatur omnis perfectio, quæ in actu puro est, de Deo enim idem est videre aliquid, et videre totum. Quare non potest deduci argumentum, neque ex intuitiva cognitione sensus externi, vel ex alia quæ fit per medium creatum, neque ex quidditativa cognitione rei creatæ ad visionem intuitivam, et quidditivam Dei, sed debent semper removeri imperfectiones. Nam in visione intuitiva creaturæ sufficit videre existentiam seu effectum existentiam, scilicet rem videre extra causas, et quoad an est, quod est aliquid extrinsecum et non essenziale in ipsa re attingere, et ita non est necesse, quod visa aliqua re intuitive videantur in re illa sunt præ-

dicata, et sic in humanitate Christi non erat necesse videre ipsam divinam existentiam, vel subsistentiam, sed solum rem esse extra causas, quæ licet formaliter reddatur existens per existentiam divinam, tamen non nisi ut sibi communicatam temporaliter, et hæc communicatio non debet videri, sed effectus ejus, scilicet reddi et poni humanitatem extra causas, sicut non videtur in nobis actio, qua conservamur in esse, sed solum effectus ejus, scilicet esse extra causas. Idem dicimus de quantitate separata. Similiter in creaturis non repugnat videri unum prædicatum non viso alio, quia non petit illud prædicatum essentialiter habere alterum in actu, nec imbit illud, sed solum in potentia, et ita etiam si omittatur, vel non videatur illud ad quod est in potentia, non refert. Si tamen intuitive videatur aliquid quod actu includit aliqua prædicata, non potest intuitio præscindere ab illis, sicut si videtur homo ut homo, necessario attingitur animal, et rationale, vel si aliquid deest non jam videtur ut homo, sed animal tantum vel rationale quæ quia in potentia se habent ad invicem, unum sine alio videri potest. Cæterum Deus est actus purus nihil habens in potentia; unde non potest videri aliquod prædicatum quod est actus purus, et non videri omnis alia perfectio, et omne bonum et prædicatum quod actu convenit Deo, quia non est aliud in potentia, sed in actu illud habet quidquid actus purus est, etiamsi minimum prædicatum sit, quia in Deo nihil majus aut minus sed quidquid est, Deus est et totum est, et sic idem est videre unum prædicatum divinum ac videre totum Deum. Nec potest intuitio aliqua dividere prædicata, ubi quodlibet prædicatum si increatum ens est, totum est.

XXX. Ad confirmationem respondetur, quod definitio notitiæ intuitivæ est, quod fit rei præsentis seu existentis prout existens est, id est, ut in exercitio existit, et prout existentia et præsentia ipsa exercentur in re. Non potest autem in re existentia exerceri præscindendo ab omni modo existendi subsistenter vel inhærenter, per se vel in alio, quia debet videri res existens terminata in se, vel communicata alteri, et saltem isti effectus terminationis vel communicationis non possunt non videri, si existentia ipsa in exercitio videtur, licet non videatur ipsa causa seu ratio, unde provenit ille effectus. Si enim cognosceretur existentia ut præscindens ab istis modis et terminationibus, maxime in abstracto cognosceretur, intuitio autem fertur in rem existentem sub suis circumstantiis et modis sub quibus exercetur actu existere. Cum ergo existentia divina non exercentur terminative, et suppositaliter nisi in tribus personalitatibus relativis, in illis tantum videri potest intuitive. Et cum isti modi non sint superadditi aut distincti, sed sint ipsamet existentia et substantia Dei, et actus purus qui ob suam infinitam eminentiam est entitas absoluta et relativa, communicabilis ut absoluta, incommunicabilis ut relativa, ideo non potest substantia et existentia divina videri ut est in se, non visis subsistentiis relativis, quia pertinent ad ipsam rationem actus puri, et substantiæ divinæ, imo sunt ipse actus purus formaliter, et viso aliquo vel minimo prædicato quod sit actus purus, totum videtur.

XXXI. Ad secundam partem argumenti respondetur Personas non esse de conceptu essentiæ tamquam prædicatum constitutivum naturæ, sed tamquam terminus, seu modus naturæ divinæ non superadditus, sed identificatus illi et substantia

ipsa : et quælibet Persona seorsum se habet ut modus inadæquatus divinæ naturæ, omnes autem tres Personæ, illi adæquate conveniunt. Non potest autem aliqua res intuitive videri non solum sine prædicatis suis constitutivis, sed etiam sine modificativis qui intrinsece et formaliter pertinent ad talem rem, sicut qui intuitive videt fidem, debet videre obscuritatem quæ illam modificat. Et Personas pertinere ad essentialem conceptum divinæ substantiæ, tamquam termini seu modi inadæquati ejus ostendimus in materia de Trinitate Deo dante, eo quod non sunt modi superadditi nec accidentales, et pertinent formaliter ad ipsam infinitam eminentiam et supernaturalitatem actus puri, quia mysterium Trinitatis maxime supernaturale est, ergo in ipso essentiali conceptu ejus includuntur, licet quia pertinent ut modi inadæquati non ut constitutiva prædicata naturæ, stat bene totam naturam, quoad sui absoluta constitutiva communicari uni Personæ, et non quoad modum aliquem relativum illi Personæ oppositum. Sed de hoc ibi.

XXXII. Ad confirmationem respondetur quod illi modi relativi licet inadæquate se habeant ad essentialitatem, illi tamen formaliter conveniunt, et pertinent tamquam modi ad conceptum ipsius naturæ in sua eminentia explicandum, quatenus est simul absoluta et relativa entitas, communicabilis et incommunicabilis, non per diversitatem entitatum, sed per eminentiam ejusdem. Unde quando modi aliqui inadæquati non sunt superadditi vel accidentales ad rem aliquam, sed ipsa ejus substantia, et alterius ipsa eorum inadæquatio intrinsece et per se requiritur ad eminentiam illius mysterii, quia in hoc consistit illa eminentia, quod eadem infinita

entitas est simul communicabilis et incommunicabilis, absoluta et relativa, non potest videri, ut est in se infinite eminens nisi etiam relationes videantur.

XXXIII. Ad ultimam partem respondetur quod attinet ad identitatem nos non admittere opinionem Scoti de distinctione formali ex natura rei, sed solum distinctionem rationis cum fundamento in re inter attributa, quæ etiam virtualis appellatur. Nec tamen sequitur quod possit aliquod prædicatum in divinis attingi sine aliis ob rationem sæpe repetitam quia actus purus est, et quocumque vel minimo viso de actu puro, totum videtur, quia nihil sibi conveniens est in potentia, sed omnia habet in actu. Quod vero objicitur de attributis quæ dicunt respectum ad creaturas, jam dictum est supra, quod illa videntur secundum entitatem suam formalem a quacumque visione, sed secundum terminationem ad creaturas, et imitabilitatem ut terminatur ad illas videntur plus vel minus, secundum penetrationem majorem talis eminentiæ et perfectionis ut ad creaturas terminabilis, et ab illis participabilis est. Et cum additur de illa eminentia quæ aliquid reale est in Deo, et sic debet videri, respondemus quod illamet debet videri, ut entitas est existens in Deo, sed non sub omni modo quo se habet ad creaturas, et participabilis est ab eis. Illa enim eminentia entitative considerata est ipsum attributum, et ipsa substantia Dei, et sic videtur a beatis, sed comparatio illa participabilitatis, et terminationis ad quamlibet creaturam non pertinet ad rationem intuitionis ut sic, quia non pertinet ad existentiam illius entitatis ut est in se, sed ut potens super alia extra se, et hoc quod est extra, et comparatio ad extra jam non spectat formaliter ad limites intui-

tionis, sed ad latitudinem majoris penetrationis circa quidditatem virtutis. Cujus signum est, quia illa major cognitio, et penetratio circa creaturas etiam versatur respectu creaturarum possibilium, quarum cognitio non pertinet ad visionem intuitivam, nec penetratio earum in ipsa virtute Dei est penetratio virtutis ut existens, quod pertinet ad intuitionem, sed secundum se. Et sic non omnes ideæ videntur quantum ad terminationem ad creaturas, bene tamen quoad entitatem divinam. Et potentia, scientia, immensitas, etc. videntur in se, non tamen secundum omnes modos quibus connotant creaturas.

XXXIV. Ultimatum argumentum. Nam seclusis seu non visis Personis, adhuc remanet Deus summum bonum, et finis ultimus, et prima causa, si quidem manet ens increatum et a se, ergo adhuc manet ut objectum beatificum, et sic ex vi cognitionis illius ut beatificæ non requiritur necessario videre omnes Personas. Consequentia patet, quia in conceptu et cognitione in qua salvatur attingentia summi boni, et ultimi finis in se, salvatur attingentia, et consecutio beatitudinis : ergo si præcis relationibus salvatur ratio summi boni, salvatur ratio beatitudinis. Antecedens vero probatur, quia Deus non habet a relationibus, quod sit summum bonum, et ultimus finis, sed id habet ex eo quod est ens a se increatum, et infinitæ perfectionis, et actus purus, hoc autem totum habet ex ipsa essentia absoluta, secundum hanc enim Creator causat creaturas, non secundum relationes, seu Personas, creat enim et causat illas in quantum est unus non ut trinus : ergo seclusis Personis adhuc remanet tota ratio summi boni in eo, quod Deus est unus. Et confirmatur, quia Pater æternus in illo signo quo intelligitur generare